



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 2. De Gratia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

tentiâ sollicitatur, certâ & inconcussâ fide teneat, nequam deesse veritatem, etsi non facillè propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit.

VII. Sextum est, ut meminerit, potissimum fructum, quem in Verbi Divini lectione, auditione, & prædicatione quære quisque debet, esse implementationem Verbi. Sic enim disertè monet S. Chrysostomus, dum ait: Sint Scripturæ Divinæ semper in manibus, & jugiter mente volvantur; nec sufficienti tibi putes, mandata DEI memoriâ tenere, & operibus oblivisci, sed ideo illa cognosce, ut facias, quicquid didiceris; non enim Auditores legis iusti sunt, sed factores. Cui consentiens S. Bernardus, sic præsertim serva Sermonem DEI, quo modo meliùs servare poteris cibum corporis tui; nam & ille panis vivus est, & cibus mentis. Beati, qui custodiunt illud. Ergo trahatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos.

§. II.

De Gratia.

I. Est qualitas quædam supernaturalis, quæ anima ad consequendam beatitudinem supernaturalem promovetur, ut S. Thomas. 1. 2. q. 110. a. 2. eam describit, de qua Sequentia Ascetæ specialiter sunt notanda.

II. Primum est, ut DEO circa distributionem gratiæ plenè acquiescat, recolens illud S. Augustini: DEI gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta esse non potest.

III. Alterum est, ut eandem gratiam dignè æstimare discat, quod facilè assequetur, si firmiter sibi doctrinam S. Thomæ persuadeat asserentis, bonum gratiæ unius majus esse bono totius naturæ universi. Quod quia difficulter aliqui capiunt, ideo monet Nierenbergius, ut, quemadmodum oculus videntem parvas stellas ratio corrigit, & docet singulas majores esse toto terræ globo; sic opinionem, quâ gratiam ut rem exiguam apprehendimus, corrigamus, & minimam ejus partem, toto universi imperio majorem esse credamus.

IV. Tertium est, ut se legitimè disponere sciat ad gratiam: quâ de re sic loquitur S. Thomas: Bonum est diffusivum sui: sed sicut Sol lucet semper, non semper illuminat: ignis calet semper, sed non semper calefacit, nisi dispositum; sic DEUS effluit, sed non influit, nisi recipienti & disposito (quæ dispositio est conversio animæ ad DEUM per potentias.) Verùm DEUS sine mensura effluit, sed cum mensura recipis. Hinc & S. Augustinus dixit: Desiderando, ô homo, capax efficeris, ut implearis.

V. Quartum est, ut cooperari gratiæ sedulò studeat; nam, ut advertit Gerson, plerumque fit justo DEI judicio, ut, qui gratiam vel neglexerit, vel repulerit, abutens donis DEI, & talentis summi Patrisfamilias in primo ætatis vigore, dum fas erat; postmodum ad eam veniendi nequam recursus habeatur.

* *
*